DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO
VIRGINIQVE DEIPARÆ,
ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS DECIMA QVARTA MARTII.
M. LVDOVICO RENOVARD Doctore Medico, Præside.

890.

An ex solo pane & aquâ vita salubris?

VITA calore & humido continetur: hoc si copiosum ᾗ μὴ εὐξήραντον, perpetuus est illius fomes perennatque diù, inde animantibus plantæ, animantium proceræ paruis, fœminis mares, graciles obesis, septentrionales meridionalibus vtplurimùm μακροβιώτεροι: ille ἀεικίνητος, quod sibi domicilium finxit, ineluctabili fato sensim dissoluens, tandem ruit in perniciem: non æquo tamen pede, nunc enim ingesto suauiore cibo pastus, nectit moras, nunc fugit ocyùs, dùm ingratum sibi pabulum fastidit. Potestne aliquis ἄσιτος viuere?

IVSTA rerum opifex & conseruatrix Natura, quò diutiùs calorem in corpore sistat, numerosâ illud nutritiarum partium instruxit supellectile, vasa quamplurima, focos, ministros apparandis illi epulis dicauit. Horum alij delectui ciborum præfecti, vt lingua, palatum, gula: alii coctioni, venter, hepar, venæ, arteriæ: alii quod superfluum est, aut potest esculentorum gratiam ac dulcedinem vitiare, secernunt, fugant, excipiunt vt fellis vesicula, lien, intestina. Omnium consensus & integritas, sanitatis summa. Verùm sæpiùs salutem gula prodit. Disrumpit ventres, intestina cum cibis permiscet. Ab edacitate fœtens ac molesta cruditas, è cuius cœno morborum examina pullulant. Illius lasciuiæ iniiciendi fræni, per nullas interdùm, quæ vacuationis omnis vires æquant, vel seras, vel arescentes escas. An xerophagia sicco mentis splendori gratissima?

IN pingui corpore esurit anima. Qui adipi solùm studet & robori, vorax gurges, iners terræ pondus. Nùm rara ingenii & roboris concordia? Beluinus homo ventri obedit, sapiens rationi. Illius blanditias si non audis, pane simplici & syncero aquæ potu, egentis naturæ desideria prorsùs impleueris. Hacce expeditâ & parabili mensâ, primi orbis incolæ seculorum annos viuebant, ex ciborum inopiâ longâ & salubri senectute diuites. Parcebat bestiarum animis, vuarumque sanguini, beatum & innocens hominum genus. Fructibus, herbis & radicibus, quas terra sponte fundebat, commodissimè vescebatur. Occurrit triticum, diuinâ sorte, manna purius mortalitatis. Ex eo comminuto, subacto, igne cocto, panis factus. Atque in eo Natura, ad suum nutritionis opus, non recusauit Artis opem. Quæ insuper, ne crassiori mole ventriculum premeret, faciliusque in corporis extima deduceretur, fermenti condimentum addidit, variosque coquendi & apparandi modos excogitauit.

CONDIMENTVM optimum fames, cuius optabilior cœna, panis. Huius vim & dignitatem necessitas, varietates ars inuenit. Leguntur vel ex ipsis frugibus, vel ex partibus farinæ, densiore subcerniculo aut rariori succussæ, vel coctionis apparatu. Sufficiat omnium optimus ex generoso tritico siligineus, qui moderato furni calore percoctus, laudatissimam pistrinarum operam acceperit. Firmissimus est, lautissimus, mollis, tener, euchymus, cuilibet ætati, naturæ, temperamento familiaris, stomacho perplacet, coquitur facilè, membratimque digeritur. Apage subcineritios, craticulares, artolaganos, ostrearios, speusticos. Dedisce bellaria, sportellas, liba, rhyemata, lagana, aliaque id genus cupedia palati luxuriantis. Omnia grauis succi, fossoris potiùs quàm delicati ventriculo accommoda, fœdam congerunt excrementorum sarcinam, nec tam appetentiam explendo quàm irritando, vitiosam plenitudinem inuehunt.

NEC resecandum gulæ dimidium. Qui cibis sobrius corpusne vinis inundabit? Vini vsus ferè nullus salubris. Quem suasit imbecillitas, temperans consuetudo dissuadere potest. An abstemii vini potoribus viuaciores? Potum præbeat, non impurus amnis, non stagnum, aut limosa palus, aquæ id genus sordidæ, pigræ, indomitæ, duræ, graueolentes, sed nitidissimus fontis ad orientem decurrentis alueus. Antiquissimus hic animalium hominumque potus viscera facilè permeat, non grauat pondere, panis alibilem succum promptè distribuit, caloris natiui, humidum primigenium continuò depascentis, retundit aciem, & assiduum, fluido licet obice, substantiæ nostræ fluorem remoratur. Felix igitur panis & aquæ coniugium. Assuesce, si potes, beatæ huic & frugali vitæ. In corpore sano mens diù vigebit sana, & inoffenso cursu traduces æuum. Qui intemperanter viuit, non tam malè viuit, quàm diù moritur.

337.

Ergo ex solo pane & aquâ vita salubris.

Proponebat Lutetiæ IOANNES LE PREVOST Viriensis. A. R. S. H. M. DC. XLI.